

vicina visitur. Idem, eadem ratione sit in vitris, atque crystallis, quæ quamquam diaphana sui natura sint, opacitate tamen uti ostendimus non carent. A qua species relata ad superficiem diaphani, quod in eis est advolat, ibique se se ostentat. Quæ res et in speculis, ea ipsa ratione evenit. Composita enim sunt, ex diaphano atque opaco. Ab hoc species resilit, in illo apparet. Quæ si in aere, eodem pacto dum est in lumine, oculis occurrit, a partium multiplicatione, quæ densitatem et opacitatem inducunt reiecta, in lumine quod in aere est, se se ostendit. In quo lumine et in speculis, et in vitris, et in crystallis, et in aqua, quasi in suo folio læta sedet, eo abeunte, tristis emoritur. Concludamus, diaphana corpora, æthera, aerem, aquam, aquea sui natura esse media, inter lucida et opaca. Utrorumque horum proles, lumen et tenebras, æque recipere. Et quæ ab his, vel proveniunt, vel pendent omnia. Æthera et aerem non esse per se visilia. Aquea crystalli et vitra per se esse visilia, non quatenus diaphana, sed quatenus opacitatis cuiusdam sunt participia. A quam vero et per se invisilem, qua est diaphana, et per se visilem qua opacitatem includit. Quatuor hæc, aerem minus, aquam magis, crystalli etiam magis, vitra quoque magis, multitudine partium atque earundem subitione opalescere. Eaque opacitate, et colores, et species in lumine edere, atque ostentare.

*FINIS SECUNDI LIBRI.*